



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

4 V. aliquam moram traxerit in inferno

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

tas diuina persona. Et ideo soluta vnione anime, & corporis A per mortem, remansit totus Christus, sed non remansit humana natura in sua totalitate.

Ad tertium dicendum, quod persona Christi est tota in quolibet loco, sed non totaliter: quia nullo loco circumscribitur. Sed nec omnia loca simul accepta eius immensitatem comprehendere possunt, qui nemo ipse sua immensitate omnia comprehendit. Hoc autem locum habet in his, quae corporaliter, & circumscriptiue sunt in loco: quod si totum sit alicubi, nihil eius sit extra; sed hoc in Deo locum non habet. Vnde Aug. dicit in sermone de Symbolo Non per diuersa tempora, vel loca diuinus ubique Christum esse totum, ut modo ibi totus sit, & alio tempore alibi totus, sed ut semper ubique sit totus.

libr. 3. e. 9. in
med. tom. 9.

COMMENTARIUS.

In hoc articulo non explicatur res noua, sed modus loquendi. Nam in re constat, Christum non descendisse ad infernum secundum totam humanitatem, sed tantum secundum animam, cui tota persona Christi coniuncta erat, pro qua supponit Christus, cum dicitur ad inferos descendisse. Hac ergo ratione dicitur Christus totus descendisse ad inferos, ut bene explicuit Durand. in 3. d. 22. q. 2.

Solutio ad tertium notanda est pro illa questione an Deus sit extra mundum. Nam si attente legatur, aperte docet D. Th. sententiam affirmantem. Dicit enim omnia loca simul accepta Diuinitatis immensitatem capere, vel comprehendere non posse. Vnde infert in Deo non habere locum eum modum, ita existendi alicubi, ut extra non sit.

ARTICVLVS IV.

Virum Christus aliquam moram traxerit in inferno.

289.
2. d. 12. q. 2.
d. 1. q. 3. Et o-
pus 90. c. 21.
circa fin.



Quartum sic proceditur. Videtur quod Christus nullam moram traxerit in inferno. Christus enim ad hoc in infernum descendit, ut ex eo homines liberaret. Sed hoc statim ab eo factum est in ipso suo descensu: facile enim est in conspectu Dei, subito honestare pauperem, ut dicitur Ecclesiasti. 11. Ergo videtur quod nullam moram in inferno traxerit.

2. Præterea Aug. dicit in serm. de resurrectione, quod sine aliqua mora, ad imperium Domini, ac Saluatoris omnes ferrei contracti sunt vincti. Vnde ex persona Angelorum concomitantium Christum, dicitur: Tollite portas principes vestras. Ad hoc autem Christus illuc descendit, ut vinctos inferni confringeret. Ergo Christus in inferno nullam moram traxit.

In ser. 2. de
resur. qui est
in or. 137. de
temp. a med.
illius 10. 10.

3. Præterea Luc. 3. dicitur, quod Dominus in cruce pendens dixit Latroni. Hodie mecum eris in paradiso. Ex quo patet, quod eodem die Christus fuit in paradiso. Non autem secundum corpus, quod positum fuit in sepulchro: ergo secundum animam, quæ ad infernum descendit. Et ita videtur, quod non traxerit moram in inferno.

Sed contra est quod Petrus dicit Act. 2. Quem Deus suscitauit, solutus doloribus inferni: iuxta quod impossibile erat teneri illum a deo. Ergo videtur, quod vsq. ad horam resurrectionis manserit in inferno.

Respondeo dicendum, quod sicut Christus, ut nostras penas in se susceperet, voluit corpus suum in sepulchro poni, ita etiam voluit animam suam ad infernum descendere. Corpus autem eius mansit in sepulchro per diem integrum, & duas noctes ad comprobandum veritatem mortis sue. Vnde etiam tantumdem credendum est, animam eius fuisse in inferno, ut simul anima eius educeretur de inferno, & corpus de sepulchro.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus statim ad infernum descendens Sanctos ibi existentes liberauit, non quidem statim educendo eos de loco inferni: sed in ipso inferno eos luce gloria illustrando: Et tamen conueniens fuit, ut tandem anima eius remaneret in inferno, quamdiu corpus manebat in sepulchro.

Ad secundum dicendum, quod vincti inferni dicuntur impedimenta, quibus sancti Patres de inferno exire prohibebantur, reatu culpe primi parentis: quos Christus, statim descendens ad inferos, virtute sua passionis, & mortis confregit. Et tamen voluit in inferno aliquamdiu remanere propter rationem prædictam.

Ad tertium dicendum, quod illud verbum Domini, est intelligendum non de paradiso terre: sed de paradiso spirituali, in quo esse dicuntur quicumque diuina gloria perficiuntur. Vnde Latro, loco quidem cum Christo ad infernum descendit, ut cum Christo esset: quia dictum est ei: Mecum eris in paradiso: sed premio in paradiso fuit, quia ibi diuinitas Christi fruebatur, sicut & alij Sancti.

In cor. artic.

Luc. 22.

COMMENTARIUS.

Sententia D. Th. in hoc artic. est, Christi animam fuisse in inferno vsque ad horam resurrectionis corporis in sepulchro. Qua de re postea. Nunc solum occurrunt obseruanda duo. Primum est circa modum loquendi D. Th. Christus ut nostras penas in se susceperet, voluit corpus tuum in sepulchro reponi, & animam in infernum descendere. Nam in eo significat, existentiam corporis Christi in sepulchro, & animæ in inferno, fuisse penas à Christo susceptas. Et ita simpliciter loquitur Caietan. hic, & Actor. 2. qui in hunc modum interpretatur verba illa Petri. Quem Deus suscitauit à mortuis solutus doloribus inferni: id est, liberando illum à pœnalitatibus, quas in inferno patiebatur. Quæ datæ fuisse censetur, nimirum esse animam separatam à corpore, & esse in loco vili, atque infimo: & aliæ duæ similes considerari possunt ex parte corporis. Confirmat autem hoc Caietan. ex illo Psalm. Non derelinques animam meam in inferno.

Caietan.
ad 2.

Psalm. 16.

Nam his verbis significatur fuisse beneficium anime Christi concessum, liberari à loco inferni, & consequenter aliquam penam fuisse ibi existere: sicut in verbis, quæ statim Psalmista subiungit, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem, indicat aliam penam humani corporis scilicet corruptionem eius, à qua Christus immunis fuit. Alijs verò non placet hic loquendi modus: quia pœnæ, ac pœnalitates Christi in morte finitæ esse censentur, quia tunc fuit consummata nostra redemptio, propter quam Christus omnes penas, & pœnalitates assumpsit. Nec D. Th. fauet priori sententiæ, ut ex ijs, quæ in art. 1. dicta sunt, colligi potest. Nam licet dicat Christum assumpsisse in anima & corpore separatim, id, quod in nobis habet rationem pœnæ seu pœnalitatis: non tamen vnam dixit in anima, & corpore Christi hæc habuisse rationem pœnæ, seu pœnalitatis. Quod ita explicari potest: nam in primis constat inter Catholicos Christi animam nullam tristitiam, vel dolorem, aut tedium sensisse ob descensum vel detentionem in inferno. Quatenus ergo pena indicat aliquid dolorem afferens, non potest illa vocari pœna. Et hoc sensu acutè dixit Bonauent. in 3. dist. 22. q. 4. Christum fuisse in loco pœnæ sine pœna. Deinde certum est, neq. animam Christi fuisse in inferno detentionem, neq. corpus in sepulchro positum in vindictam, vel supplicium, aut satisfactionem alicuius peccati. Quia nec Christus assumpsit hæc ad satisfaciendum pro nobis nec ob aliquam aliam culpam erat debita huiusmodi pœna: ergo neq. ea ratione possunt hæc vocari pœnæ, vel pœnalitates, scilicet, quatenus omne malum, seu

De consuetudine
inferni nullam
animam
Christi pena
fuit sicut in
sepulchro
corpori.
Bonauent.

feu carentia cuiuscunque boni propter culpam in-
sistam, est poena, licet forte non sentiat, neque
dolorem asserat. Igitur nullo modo hæc possunt vo-
cari penalitates Christi. Et hic modus loquendi vi-
detur prior, & securior. Quamvis dissensio sit de
modo loquendi, quæ de re inter Catholicos constat.
Possunt ergo dici carentiæ quedam aliquarum per-
fectionum, quæ poenam mortis consequutæ sunt,
& assumptæ ad veritatem mortis, & resurrectionis
magis confirmandam: in se tamen non habentes
veram rationem poenæ: ut corpus Christi in sepul-
cro poni, detineri, ex morte consequutum est: ta-
men supposita morte illud non est poena, sed com-
moditas potius corporis. Quod autem separatlo a-
nimæ, & corporis facta per mortem aliquo tempo-
re durauerit, necessitate quadam naturali consequu-
tum est. Quod vero illud tempus breuius, diutur-
niusue fuerit, diuina voluntate definitum est, non
in poenam animæ, vel corporis Christi, sed iuxta ra-
tionem diuinæ sapientiæ, prout ad bonum hominū
& Ecclesiæ magis expediebat. Loca verò Scripturæ
quæ Caietanus adducit, non recte ab eo exponun-
tur. Illud enim Petri, *Solus doloribus inferni*, non po-
test de ijs Penalitatibus (ut Caietanus loquitur) ex-
poni propriè, cum certum sit, eas nullum animæ
Christi dolorem attulisse. At cum Scriptura *dolores*
vocat cum proprietate intelligenda est, cum facile
possit. Quis autem sit proprius huius loci sensus, in-
fra videbimus. Verba autem Psalm. 15. *Non delin-*
gues animam meam in inferno, licet concedamus in-
dicare aliquod Dei beneficium, vel potius acciden-
tale premium debitum illi animæ, non solum ra-
tione vnionis, sed etiam ratione meritum, non
tamen inde fit, carentiam illius boni fuisse propriè
poenam, sed medium quoddam accommodatum ad
exequendum ea, quæ Deus circa homines disposue-
rat, ut art. 1. etiam tactum est.

Psalm. 15.

Dubium

Secundo est obseruandum, quod D. Thomas ait,
simul animam Christi eductam fuisse de inferno, &
corpus de sepulcro. Nulla enim ratione videtur
hoc posse consistere, quia corpus non exiuit de se-
pulcro nisi viuum, atque adeo anima informatum:
non potuit autem informati ab anima, & virtute ei-
us educi de sepulcro, nisi prius, vel per vnum in-
stans anima in ipso sepulcro fuerit vnita corpori.
Nam illa vnio necessaria in aliquo loco faciendâ
fuit, ergo vel in sepulcro, vel extra: si extra sepulcrū
ergo non potuit ab ipsa anima, & virtute eius educi
de sepulcro. Quia prius saltem natura debuisset e-
duci: repugnat autem animam prius natura moue-
re corpus, quam illa vnietur, debuit ergo vnio fieri
in sepulcro, ergo necessarium fuit animam prius e-
duci de inferno, & ad sepulcrum adduci, quâ cor-
pus inde exire, ergo non potuerat simul educi cor-
pus de sepulcro, & anima de inferno. Respondetur
argumentum meæ sententiæ conuincere aliqua mo-
dum, vel duratione eductam prius animam de infer-
no, quam corpus de sepulcro. Hoc vero iuxta di-
uersas sententiâs de motu spiritualium rerum diuer-
simodè explicari potest. Suppono enim hic non esse
confingenda miracula sine necessitate: sed potius
præsuppositis mysterijs, ac supernaturalibus operi-
bus, quæ docet fides in cæteris rebus, id seruatum esse
quod est magis connaturale, quo ad fieri possit. At-
que ita sine disputatione, & controuersia sumo, ani-
mam Christi non fuisse simul in duobus locis di-
stantibus, item in vno instanti nostri tēporis fuisse
iterum corpori vnitam. Hæc enim magis connatu-
ralia sunt, neque fuit vlla necessitas illa immutandi.
De motu autem anime separatæ, sicut & angeli, qui-
dam sentiunt, non posse transire de extremo ad ex-
tremum nisi per medium: quod si ita est, necessa-
rium fuit aliquam vel breuissimam morâ temporis
confumi ab exitu animæ Christi de inferno vsq; ad
instans, in quo fuit in sepulcro corpori vnita, & cō-

Responsio.
Anima
Christi de
Inferno, &
corpus de se-
pulcro simul
educta quo-
modo.

A sequenter toto illo tempore prius exiuit ipsa de in-
ferno quam corpus de sepulcro. Quod si quis velit
hanc sententiam (quæ valde probabilis est) defen-
dere, potest exponere Diuum Thomam cum dicit
simul, non loqui adeo mathematicè, sed morali mo-
do, id est, non prius exiuit anima, quam veniret ad
assumendum corpus. Alij vero sentiunt posse ani-
mam, sicut Angelorum, transire ab extremo ad ex-
tremum sine medio, quod de corporibus glorio-
sis Durandus, & alij affirmant. Quod probabilius e-
rit de anima beata saltem supernaturali virtute de-
bita ratione beatitudinis, & præsertim animæ Chri-
sti ratione vnionis. Et iuxta hanc sententiam tantū
per vnum instans oportuit animam Christi prius ex-
ire de inferno, quam corpus de sepulcro. Nam il-
ludmet instans, quod fuit primum non esse animam
Christi in inferno, fuit primum esse eius in sepulcro
& in eodem fuit corpori vnita, atque immediatè
post eduxit corpus de sepulcro. Et hoc modo salua-
tur dictum D. Thomæ in sensu magis riguroso: quia
in eodem instati, in quo anima mora est ab inferno,
cepit etiam corpus de sepulcro moueri, vnumquod-
que tamen modo sibi accommodato. Nam si verū
est (ut infra videbimus) corpus illud eductum fuisse
per medium, penetrândo saxum sepulcro impositū,
negari etiam non potest, quin aliquod tempus con-
sumperit, priusquam de sepulcro prodiret. Quo
toto tempore verum est dicere, prius animam fuisse
extra infernum, quam corpus extra sepulcrum, &
nihilominus possunt dici simul educta, quia toto il-
lo tempore iam corpus educebatur, modo sibi ac-
commodato, ut dixi.

Dubium.

C Solutiones argumentorum D. Tho. sunt faciles.
Verba autem illa Christi, quæ in sol. ad 3. tractat, Ho-
die mecum eris in paradyso, & sunt in superioribus ex-
posita, & in sequentibus non nihil addemus.

Luc. 23.

ARTICVLVS V.

*Virum Christum descendens ad inferos, sanctos Pa-
tres inde liberauerit.*



D quintū sic proceditur, Videtur quod Chri-
stus descendens ad inferos, sanctos patres inde
liberauit. Dicit enim Aug. in epistola ad Euo-
dium illis iustis, qui in sinu erant Abra-
hæ cum Christus in inferna descenderet, nondū
quid contulisset, inueni: a quibus eum secundum beatificam
presentiam suæ diuinitatis, nunquam video recessisse. Mul-
tum autem eis contulisset, si eos ab inferis liberaasset. Non er-
go videtur, quod Christus sanctos Patres ab inferis liberauit.
2. Præterea. Nullus in inferno detinetur, nisi propter pec-
catum. Sed sancti Patres, dum adhuc viuerent, per suam Chri-
sti iustitiam fuerant à peccato. Ergo non indigebant liberari
ab inferno, Christo ad inferos descendente.

290.
3. d. 22 q. 2.
2. 2. q. 1. Et o.
p. 3. c. 24.
Esse p. 90. de
clin. ad med.
illius rom. 2.

3. Præterea Remota causa remouetur effectus. Sed causa
descendendi ad inferos est peccatum, quod fuit remotum per
passionem Christi, ut supra dictum est. Non ergo per descen-
sum Christi ad inferos sancti Patres sunt de inferno educti.

Sed contra est, quod Aug. dicit in sermone de resurre-
ctione, quod Christus quando ad inferos descendit, portam in-
ferni & vectes confregit, & omnes iustos, qui originali peccā-
to astricti tenebantur absoluit.

q. 86. a. 8. In
ser. 2. de re-
sur. qui est.
137 in or. post
med. to 10.

Respondet dicendum, quod (sicut supra dictū est) Christus
descendens ad inferos, operatus est in virtute suæ passionis. Per
passionem autem Christi liberatum est genus humanum, non
solum à peccato, sed etiam à reatu poenæ, ut supra dictū est. Du-
pliciter autem homines reatu poenæ erant astricti. Vno modo pro
peccato actuali, & quilibet in sua persona commiserat. Alio modo

Ar. præc. ad
2. arg.
q. 49. ar. 3. &
qu. 50 art. 61

pro